

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

**Disputatio Theologica De Adventu Domini : De quo agitur 2. Petr. III. Vers. 3. & seqq.**

Basileæ: Typis Jacobi Bertschii, [1701?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn87024521X>

Druck Freier  Zugang





54.

Fa - 1092 (54)



1. Tractatus Theolog. de Praeceptis d. Holzfur.  
2. De Jure Sabbathi. Stryk.  
3. de Herba Bonith. Jerom. 22.  
4.

2.

37.

9.

36.

6.

3.

4.

3.

1.

2.

1.

2.

1.

2.

3.

16.

53.

54.







29.

DISPUTATIO THEOLOGICA  
*DE*  
**ADVENTU  
DOMINI,**

*De quo agitur 2. Petr. III. Vers. 3. & seqq.*

*Quam*

**Assistente Gratia Divina**

*Sub PRÆSIDIO*

*Viri Venerandi & Excellentissimi*

**DOMINI**

**SAMUELIS WERENFELSHI,**

*S. Theol. Doctoris, & Controv. Profess.*

*Celeberrimi,*

*AD DIEM 17. JUNII A. S. M. D. CCI.*

**IN AUDITORIO SUPERIORIS COLLEGII**

*Placido Eruditorum Examini*

*subjicit*

**M. DANIEL SCHÖNAUERUS,**

*Basiliensis S. Theolog. Studios.*

*A. & R.*



---

**BASILEÆ, Typis JACOBI BERTSCHII,**

7.

5.

5.

**DFG**



um Consuetudo Specimen publicum studiorum à me exigeret, diu fluctuanti animo, quodnam thema eligerem, tandem casus obtulit Locum, 2. Petr. 3. v. 3. & seqq. quem viri Eruditi, imò tota ferè antiquitas magno consenserunt explicant de interitu mundi, vel quoad substantiam vel quoad qualitates. Animum hic subiit, paucis exponer rationes, que me post alios magni nominis viros impeditiunt, quod minus recepte interpretationi subscribere possum, & quare eorum sententia mihi verisimilior & plausibilior videatur, qui locum interpretantur de abolitione Ecclesie & Reipublica Judaica, hancj secuto statu Ecclesia Novi Testamenti. Ceterum hoc confirmare possum, me à vulgata interpretatione alienorem esse, non novitatis studio, quod alias nostræ atatis homines vehementer titillare solet, sed studio veritatis: tantumq; abest, ut sententiam meam cuiquam obtrudere velim, ut meliora docenti protinus sim cessurus: id quod in problematicis istiusmodi questionibus à quovis modesto veri inquisitore fieri oportet. Ut verò fundamenta interpretationis, quam vulgata præferendam existimo, cuilibet manifesta siant, quatuor probare conabor. 1. Sententiam nostram cum scopo Petri convenire. 2. Verba & Phraselogias ab ipso usurpatas eam pati. 3. Eventum ei respondere. 4. Expositionem receptam multò majoribus incommodis & difficultatibus laborare quam nostram.

W. DANIEL SCHINELLERI

Dissertatio de Thesauris patrum

CAPVII

69.

CAPVT I.

1. PRimum itaque quod attinet, neminem mihi contradictrum spero, Petrum, qui dicitur Apostolus της Ἐπιστολῆς Gal. 2.7. hanc Epistolam, perinde ut primam, scripsisse Judæis exteris hinc inde in Ponto, Galatia & Cappadocia dispersis, 1.Pet. I.1. expressè enim dicit: hasce jam alteras vobis literas scribo dilecti, &c. neque istud mihi quisquam, ni fallor, negabit; Petri in hac Epistola scopum fuisse generalem, fideles contra cavillationes, quibus increduli eos erant vexaturi, præmunire, nam hoc totus contextus clarissimè docet, versu I. dicit, se has literas ad eos scribere, ut eos submoneat; & in sequentibus exponit, de quo eos commonere velit: nempe, ut meminerint verborum à Prophetis & Apostolis prædictorum, de irrisoribus ultimis temporibus exorturis, prædictiones de Domini adventu risuris; ab horum itaque infidelitate & ludibrio ut sibi caverent, & in semel recepta fide constanter perseverarent.

2. Quæritur igitur 1. quinam fuerint isti irrisores, & 2. quænam verisimiliter eorum fuerint cavillationes? ad primum respondemus, per irrisores vix alios intelligi posse, quam Judæos incredulos, hisce enim non gentibus convenienter verba γ.3. Gentes enim de promissione adventus Messiae non quicquam noverant, neque ad Patres suos provocare solebant, uti Judæi, quorum in ore Patres ferè semper fuerunt. Secundò, intelligi Judæos, non qui futuri essent in fine mundi, sed Reip. Judaicæ, seu temporibus Petri & pauli post. Hi enim adhuc cum aliquâ veritatis specie dicere poterant, à quo patres obdormierunt, omnia manent in pristine suo statu, non verò hodierni aut circa mundi finem victuri. Quis enim nunc non rideret vanitatem & falsitatem Judæorum Irrisorum id dicentium? Cum tanta mutatio Judæis contigerit: postquam impleta vaticinia Hos. III. 4. Dan. IX. 26. 27. postquam Sancta Urbs destruta, templum dirutum, sceptrum ablatum, ipsiq; miseri hinc inde vagantes aliis populis ludibrio

A

sunt

5.

funt: quomodo ergo dicere possent, ex quo Patres obdormierunt,  
marita etw. dianam?

3. Ad secundum respondemus, Irrisorum cavillationes fuisse; vanam esse Domini Iesu Christi pollicitationem, ex eo, quod, à quo Patres obdormiverunt, omnia permaneant in suo pristino statu ab initio creationis v.3. ideoq; frustrè adventum ejus exspectari. Cum autem non unius Christi adventus in Sacra S. mentio fiat, adventus nempe in carnem, adventus ad particulare judicium Judæorum, adventus ad judicium universale in fine mundi. Videbimus, de quo adventu hic agatur, & ad quodnam tempus Irrisorum cavillationes sint referendæ, quod si primum intelligere velimus, locus nec nostro nec communi Doctorum sensu erit explicandus; si secundum, obtinebimus, quod volumus; si tertium, communis loci explicatio præferenda erit: probare itaque conabimur, de adventu secundo omnia verisimiliter exponi debere.

4. Primum adventum neminem intellecturum puto, si Apostoli respositionem spectet, non tardare Deum promissionem suam; diem illum venturum v.10. quod si ergo primum quis intelligere vellet, statuere deberet, non credidisse Petrum, jam venisse Christum in carnem. Nec de ultimo adventu locus necessariò exponitur, cum non tantum verba & Phraselogiae patientur eum de secundo exponi, uti mox dicemus, sed & res ipsa ita ferat, imo aliquatenus requirat. Constat primò, Christum, Prophetas & Apostolos tam de secundo adventu ad judicium particulare Judæorum, in quo urbem eorum & templum excindere debebat, quam de ultimo ad judicium universale, vaticinatos fuisse. Deinde Judæos nihil magis affecisse, quam quod Christus ejusq; Apostoli templo eorum & Urbì Hierusalem excidium, totiq; aded genti exitium minati sunt, & quidem tali tempore, quo spe pleni Messiæ adventum & liberationem à potestate & jugo Romanorum exspectabant. Hinc sine dubio multæ Christianis cum Judæis, imprimis Judæis qui religionem Christianam amplexi fuerant, cum Judæis incredulis erant contentiones de excidio Urbis & templi futuro vel non futuro: Judæis incredulis cavillantibus,

69.

tibus, vanissima esse, quæ de eo prædixerant Christus & Apostoli, & vel ex eo doctrinæ eorum falsitatem patescere, quod non tantum nondum contigerint, quæ prædixerant, sed nec ulla species appareat, quicquam eorum impletum iri. Quare necessarium duxit Apostolus, Neophytorum suorum animos, in fide nondum satis confirmatos, contra ejusmodi objectiones & cavillationes omni studio armare, imprimis cum Judæis hac objectione facillimè defectio à fide persuaderi potuerit, nunquam ferè eversionem gentis ejus urbisq; sanctæ destructiōnem creditibus, sed brevi potius Reipubl. suæ restitutiōnem sperantibus. Cujus autem magis, adhortari Judæos, officium fuit, quam Petri tanquam Ministri circumcisōnis & qui Epistolas suas ad Judæos conversos hinc inde dispersos scripsit, & quidem eo fine ut contra irrisorum cavillationes præmuniret. Quare non sine causa auguramur, Apostolum in hoc Cap. 3. officium suum præstítisse; Imprimis cum objectiones, quæ contra hanc expositionem formari possunt, tanti valoris non sint, ut contrarium evincere queant, omnia verba quoq; & Phraseologiæ huic explicationi accommodari possint, quod jam videbimus.

CAP. 11.

5. In hoc autem capite sequentes occurrunt Phraseologiæ, quæ receptæ interpretationi favere, nostræ verd contrariari videntur; quod Apostolus Cœlum, terram, elementa per ignem peritura dicat, novumque cœlum oriturum & novam terram; quod loquatur, de ultimis temporibus, de adventu & die Domini: Hæc non nisi de ultimo Mundi fine & neutiquam de urbis & templi Hierosolomytani deq; totius Reipubl. Judææ interitu, explicari posse plerique autumant.

6. Quid enim? ajunt, an cœlum; terra, elementa igne perierunt, cum templum & urbs à Romanis comburerentur? an cœlum & terra ab eo tempore novam induerunt faciem? an dici potest; hæc omnia facta esse die Domini, ultimisque temporibus? cum constet, Mundum adhuc subsistere, cœlumque terramque nihil mutata pristinam exhibere faciem: tot ferè se-

cula ab Urbe destructa, ut & à tempore Reipubl. Judæorum præterfluxisse, quomodo ergo dici potest, excidium Urbis templiq; contigisse ultimis diebus? aut an dies Domini alias vocari potest, quam dies ultimi judicii? sed suspende lector, si placet judicium tuum, & ad sequentem interpretationem bene attende, fateberis, nisi vehementer fallor, verba hæc & modos loquendi nostræ interpretationi haud ita male quadrare.

7. Primo quidem illud observandum erit, Apostolum oppositionem facere inter cœlum & terram tempore diluvii & sui temporis. Intelligit autem sine dubio per Mundum tempore diluvii existentem, non ipsam cœli terræq; substantiam, nam illo tempore non perierunt, sed homines, vel si mavis impii diluvio interiere; hinc me optimo jure concludere credo, cœlum & terram y.7. non propriè de aspectabilis Mundi hujus substantia, sed impropriè quoq; & allegoricè sumi. Dum autem, Petrus de cœlo & terra, quæ tunc erant, deque mundo post diluvium de novo quasi à Deo producto, loquitur; verissimum mihi videtur, alium intelligere post diluvium hominum statum, alium & quidem meliorem cultum, quam antediluvianum: probabile est, inquam, Apostolum stylo hic loqui propheticō, quo Ecclesia cœlo comparatur, unde quandoq; abusive Ecclesiæ Babylonicae vel Antichristianæ vid. Esaj. 13.13. coll. v.10. Esaj.34.4. quem locum Piscator explicat de Ecclesia Antichristiana: per cœlum verd' Ecclesiam Judaicam, sæpius intelligi neminem negaturum credo si sequentia loca inspexerit, Es.51.6. collato eum y.15. & 16. Hag.2.7.22. Joel.2.10. Marc.13.24.25. in primis Heb.12.26.27. habuit quippe Ecclesia Judaica, quæ eam cœlo reddebat similem. Habebant enim Judæi in Ecclesia sua tanquam in cœlo Deos, Ps.82.6. Joh.10.34. habebant cœlum seu thronum Dei in sancto sanctorum, Angelos & Cherubinos super & circa arcam, altare quoque, Sacerdotes & sacrificia, quæ fuerunt typi Christi in cœlis. Sic quoq; solem lunam, stellas Joel.2.10. Mat.24.29. Habuit etiam, ob quæ terræ comparari potest, nempe V.T. seu promissionem possessionis terræ Canaan. Multivariis quoq; Judæi ceremoniis à Deo præscriptis alligati erant; ita ut Deus tanquam in terreno regno Dominum

69.

minium suum exercuerit; quapropter vocatur Messiae tempus...  
 Matth. 22. 2. Hoc verò cœlum & hæc terra , Ecclesia nempe Judaica, igne perierunt, cum templum & urbs Hierusalem destructa & combusta sunt. Sic quoque locum nostrū explicat Vir Præstant. Joh. Ovvenus in suis Theol. lib.3. cap. I. Mundus iste, ait, fuerunt homines in Mundo degentes : eis per diluvium deletis , Mundus alius, ad cultum Dei rite peragendum erigi debuit. Hujus autem mundi fundamenta posuit Deus in familia Noachi, totam fabricam perfecit Ecclesia Judaicæ ereclio atq; ornatus ; atq; is mundus erat, quem illici igne dissolvendum prædictis B. Petrus, stylō nempe Prophetico. Ita legimus apud Esaj. 51. 15. 16. quo tempore ideo Deus dividens mare & educens populum suum ex Egypto , verbum seu legem cum solenni cultus suis præscriptione ei concredidit, in Ecclesiam eum sibi formans novum hunc Mandum, cœlum illud & terram instituit & absolvit. Eo tempore quo Petrus scripsit, Mundus hic , hoc est Ecclesia Judaicæ jam Apostatica in exitium ignis festinavit; non aliter quam mundus ille vetus, in diluvium se precipitavit, hactenus ille.

8. Quod ad elementa attinet, quorum dissolutio per ignem in hoc cap. prædictitur, commode intelligi posse, puto, ceremonias Judaicas, vix autem prima Mundi principia, si usum hujus vocis in S.S. spectetur; nam ceremoniæ Judaicæ Paulo expresse vocantur, στοιχεῖα elementa ad Gal. 4. 3. Col. 2. 20. quo sensu loquitur etiam Paulus de Elemētis, i.e. de primis principiis & articulis fundamentalibus Religionis Christianæ, quæ Judæo, religionem Christianam amplecti cupiēti, scitu omnium primi necessaria erant, Heb. 5. 9. 12. Elementa autem mundi sive statuta Judæorum ceremonialia dissoluta utique fuerunt per ignem, cum urbs Hierusalem & templum comburerentur; ab eo enim tempore nec sacrificare nec alias cultus externos exercere Judæi poterant, secundum Dei mandatum, ne extra templum Hierosolymitanum sacrificarent; erant autem sacrificia potissima ceremoniarum Judaicarum pars.

9. Dicendum porro, aliquid de tempore, quo irrisores isti venturi dicuntur. Creditur vulgo, hic per ultimos dies intellegi debere dies Mundi finem non longe præcedentes. Constat autem hæc verba non significare necessariò ultimum Mundi

5.

tempus : Sed sumi quandoque pro tempore mox futuro  
2. Tim. 3. v. 1. Genes. 49. 1. dein pro temporibus N. Testa-  
mentum præcedentibus Actor. 2. 17. pro temporibus Christi  
regnique ejus initio Num. 24. v. 14. Esaj. 65. v. 17. & 66.  
22. Respondent autem verba hæc sine dubio Hebraicis  
**אַחֲרִית הַיּוֹם**. quæ hoc sensu sèpius quoque sumuntur,  
& à LXX. &<sup>την απομενην ημεραν</sup> traducuntur.

10. Quod verò Petrus loquatur, de Adventu & Die Domini,  
quæritur num non respiciat ad Adventum Christi &  
Diem ultimum, quo venturus est ad judicandum Vivos &  
Mortuos. Non ibimus inficias, ultimum Diem quandoque  
id significare, sed negamus id fieri sæpiissimè vel semper;  
Scriptura enim Verbis hisce frequenter utitur cum agit de Ad-  
ventu Domini adjudicium particolare Judæorum deq; Die ex-  
cidii eorum: ut Joël. 2. 12. Ezech. 7. Mal. 4. 1, 5. est itaque  
Dies ille, de quo Paulus dicit, Hebræis esse propinquum Heb.  
10. 25, 37. & quis nescit, Adventum Domini non necessariò  
de Adventu in carne intelligendum esse? Advenit enim Deus  
quoque spiritualiter vel gratia sua & in pace, vel in judicio,  
quando poenas sumit de improbis; conferantur loca Marc. 13.  
Matth. 24. v. 39-44, 50. ubi de Adventu Filii Hominis multa  
dicuntur, quæ necessariò quoque de Adventu primo ad judi-  
cium Judæorum intelligi debent.

11. Adjicienda quædam sunt, quid per novum cælum no-  
vamque terram accipendum, nempe tempora N. T., Regnum  
Christi & propagationem doctrinæ ejus; attendat saltem ali-  
quis ad loca ista Es. 65. v. 13, 17, 25. Es. 66. 22.... Hinc ita Ovvenus  
sententiam suam exponit: Ecclesiæ statum, post Adventum  
Christi Propheta in locis hisce depingit, nempe, quo tempo-  
re Deus assumenturus eslet ex gentilibus in Sacerdotes & Levi-  
tas uti verba se habent v. 21. legantur porrò quæ Joël habet  
cap. 2. v. 31, 32. & cap. 3. quomodo etiam Paulus argumenta-  
tur ex loco Hag. 2. 7. Hebr. 12. v. 26, 27? Nam illud  $\tau\mu \alpha \xi$   
notat instabilium rerum amotionem, ut maneant quæ sunt  
 $\tau\mu \nu \alpha \xi$   $\tau\mu \alpha \xi$ ; quæ verò illa sint leg. v. 28. & videbis esse  $\beta\alpha$ -  
 $\tau\mu \alpha \xi$   $\tau\mu \alpha \xi$  Christi; Hæc sufficere arbitror ad probandum,  
Phra-

9.

Phraseologias, quibus Petrus utitur sententiae nostrae non contrariari sed illi optimè accommodari posse. Monstranda nunc erit impletio Prophetiae Petri; quomodo de Ecclesia Judaica de clementis & legibus istius mundi dici possit igne periisse, nam sic Petrus v. 7, 10, 12.

### CAPUT III.

- 12. Omnia autem hæc impleta esse dicimus, cum à Romano exercitu Duce Tito Vespasiano Urbs capta, & templum desolatum combustumque esset vid. Joseph. Lib. VII. Cap. 9. & 10. ubi dicit: *Militem divino motum impetu non expectato cuiusdam edidio, neq; tantum facinus veritum, ex ardente materia raptum ignem in fenestram inferuisse auream.* Frustra autem Cæsar ignem extinguere conabatur, non furentes Milites eum audire, vel audientes obsequi voluerant; ita ut ipse Josephus hic fatum agnoverit, *quod ut animalibus ita operibus locuq; sit ineluctabile.* Experti sunt tunc Judæi, quæ Christus prædixerat, de templi destructione: pœnas tunc dedere suæ incredulitatis & obstinatiæ; magnam admodum tunc accepere cladem, cum vel interficerentur, vel captivi ducerentur, vel dispergerentur. Et quodnam manifestius desertionis Dei indicium fuit, quam templi combustio? Quid aliud inde concludere poterant, quam Deum cultum antea ab illis præstatum abominari? cum locum & instrumenta, quibus se alias ritè colivolt, perderet: cessavit tunc Theocracia, quam Deus antea in hunc populum exercuerat: tum etiam elementa cœli exusta fuerunt, & in combustionē templi summo cum stridore conflagrarunt; Altaria enim aurea & ænea vi ignis liquefacta; mensa, lichnuchi, Cherubini, aliaque vasæ, quibus rabidorum militum manus pepercera, flammâ absumpta, & sic ceremoniæ, ritus, cultusque V. T. incendio atrii, sancti & sanctissimi perierunt. Huc faciunt verba Clariss. Witsii Misc. Part. I. Diss. 6. Tunc, ait, *Deus cœlum & terram commovere cœpit, quando dirutâ Hierosolyma & templo ubi solium gloria sua habuerat, & terra decoris anathemate percussa, infirma & egens veteris mundi elementa jure & facto abolevit; eo introducto statu, in quo*

5.

quo nec circumcisio nec p̄putium quicquam valent, sed uocū ~~alios~~  
gentesq; omnes sine discrimine privilegii, spiritualis regni potiuntur;  
breviter quo vetera pr̄terierunt, & nova facta sunt omnia, vide so-  
des Hebr.12.v. 26,27. cum commentariis Beze & Belgarum. Hacte-  
nū ille, quæ sufficere poterunt. Hæc omnia cum senten-  
tiæ nostræ benè convenire possint, causam non video, cur o-  
mnino rejicienda sit; in primis, si quis communem tenens  
sententiam, plura observabit obstacula, quam si nostram de-  
fendere velit. Id quod sequenti Cap. paucis demonstrabo.

#### CAPVT IV.

13. Secundūm sententiam communem ignis consumet hanc  
vastissimam mundi machinam, cœlum terra & omnia opera,  
quæ in ea sunt, igne peribunt. Sed quis percipere potest,  
omnia corpora etiam fluida, aquam, aërem, cœlosque astri-  
feros, & corpuscula subtilissima igni posse comburi? secun-  
dūm illorum sententiam, elementa dissolventur; sed quæ-  
nam elementa? num quatuor illa vulgo dicta, num etiam a-  
qua, num ignis ipse? num Atomi Democriti & Epicuri, aut  
si quæ alia Philosophi statuerant rerum stamina aut principia?  
Non autem penitus peribunt, quoad substantiam, nisi quis  
dicere velit, ignem materiam annihilare posse, & non tantum  
in cineres redigere. Etsi omnia vi ignis annihilarentur, num  
eodem id fieri momento? non probabile; nisi cœlum Beato-  
rum collapsurum statuere velimus, spatio intermedio absur-  
tione ignis inani facto. Dein, non sine causa queritur,  
quando mundus sit comburendus? num ante corporum re-  
surrectionem, ante ultimum judicium, ante assumptionem  
beatorum in cœlum supremum; an verò demum postea?

14. Prius dici vix potest, nisi credere vellemus, Christum  
nullos vivos in adventu suo ultimo offensurum, aut homi-  
nes tunc viventes, igni combustos, revivicandos. Ordo  
quoque rerum in Scriptura S. enarratus contrarium satis e-  
vincit. Dicendum itaque incendium demum post futurum.  
Sed ubi interea erunt pii? an in cœlo Beatorum? Quomodo  
ergo Petrus dicere posset, post mundi conflagrationem, se  
novum

novum cœlum exspectare veteri successurum & novam terram, in qua justitia habitabit? nempè postquam electi, jam in cœlum assūti, interea ipsis Deus novum domicilium fabricabit, quod è cœlo veteri emissi inhabitabunt.

15. Præterea quando apud Esajam &c Apocal. 21. v. I. novi cœli mentio fit & novæ terræ, non dicitur, finem mundi tunc jam adesse, sed per tempus mundum adhuc duraturum, hominesque in illo permansuros: Esajas enim cap. 65, 25. postquam creationis novorum cœlorum mentionem fecit, subjicit longam rerum seriem, quæ post in terris & inter homines futurae erunt. Sic quoque Cap. 66. v. 15 - 24. multa futura recensentur, postquam Deus igne venerit ad judicandum, novumque cœlum instruendum: Postea enim demùm gentes vocandæ per Apostolos, sive illos, qui ex igni isto liberati fuerunt, qui gloriam Dei sint enuntiaturi populis Barbarissimis. Tum ex his ipsis vocatis Sacerdotes demùm eligendi, qui coram Deo cultum verum administrent, ut nihil dicam de illis, quæ adhuc post destructionem Regni Anti-Christi, Apocal. 21. v. 1. 26. futura prædicantur; quando contra Sacra S. de ultimis & postremis mundi diebus de Resurrectione & Judicio, de Impiorum detruzione in infernum, piorumque assūtione in cœlum loquitur, ibi tum finem ultimum figit, tum tempore abrogato æternitatem introducit, & nullæ amplius mutationis, mentionem facit vid. Dan. c. 12. v. 2, 3. Matth. 25. v. 46. Joh. 5. v. 28, 29. 1. Thess. c. 4. v. 15, 17. quæ loca de ultimo Christi Adventu agunt. Tunc peracta sunt omnia; quid enim tunc demùm mundi veteris combustio & novi productio, ubi impii in inferno, pii vero loco æterni gaudii & gloriae erunt?

16. Quod si cui hic, ad nescio quæ miracula confugere laret, nostrum captum omnino superantia & naturalis Philosophiae placitis penitus adversantia, illum quidem suo sensu abundare facile patimur: Sed nobis non videtur, in interpretanda Scriptura unquam ad talia esse recurrentum, cum verba ejus ferunt facilem & rationi consentaneam interpretationem, imò scopus eorum talem poscere videtur. Ne quis deni-

B

que:

5.

que existimet, hanc nostram interpretationem, minus ad redargutionem & correctionem Impiorum utilitatis habere, quam receptam qua Viri graves ad terrendos ~~ματαιο~~ nostrorum temporum efficaciter utuntur: considerandum est, Adventum illum Domini, ad particulare judicium populi Iudaici, typum & prodromum fuisse terribilis illius diei, quo Jesus idem venturus est ad judicandum vivos & mortuos. Et sicut ex eo, quod Deus illum Adventum aliquandiu distulit, occasionem arripuerunt increduli, vaticinia de illo facta irridendi & ludibrio habendi: ita hodie, Deo novissimum illum judicii diem differente, talium derisorum cathedræ, omnes Prophetarum prædictiones de ultimo judicio, signisque ante futuris subsannantium indies crescent. Sed sapiant hi ilorum exemplo: & contremiscant; differt Deus, non aufert. Judicium, veniet, ut tum quoque venit, tempore, quo non venturum putant, atque irrisores in mediis cachinnis opprimet, eorumque risus in perpetuos ejulatus convertet. Da Iesu, ut ita vivamus, ut Adventum tuum non modo sine terrors credere & exspectare possimus, sed eum toto pectore an-

helare & cum sponsa tua perpetuo clamare:

Veni DOMINE JESU:

Veni citè.

F I N I S.





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn87024521X/phys\\_0019](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn87024521X/phys_0019)

DFG

SCHT DEO GRACIAS



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn87024521X/phys\\_0021](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn87024521X/phys_0021)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn87024521X/phys\\_0022](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn87024521X/phys_0022)

DFG



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn87024521X/phys\\_0023](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn87024521X/phys_0023)

DFG





Patch Reference number on left

Scan Reference Chart T263 Serial No. 0111

47

riter vindicasse, vel ex iis, quæ nos adduximus, no forsitan pari ratione etiam Innocentio XII. aliare historica sunt, obrepere posse, dicere posset. uertas ex iisdem tententias, quæ jam ante quadra- aspexere, ab Ecclesia Romana nondum esse damna- rum Virorum scripta Romæ quoque magni æsti- e Papebrochio in Resp. ad Art. XIV. n. 4. & 56.

am Pontifices in Bullis suis, quibus Indulgencias atorum remissionem sese illis concedere dicant, o aliter judicare poterit, quam vel generali sensu liberi, vel saltem culparum veniam eâ intelligi, n, peccatum dicere, admodum improposita sit locu- ficii Doctores propemodum omnes uno ore clau- ummodo phrasin intelligendam esse. Bellarminus

VII. scribit: per Indulgencias non absolvimur nec sol- lius, i. e. nec lethalis nec venialis. - - - Si quando in i legatur, concedi absolutionem à culpa & pœna: in- vopterea dici, quod indulgentia conjungitur ordinarie nfessione, & facit, ut qui per Sacramentum pœni- à culpa, per indulgentiam absoluatur à pœna. Par- Pontifices se per indulgentias absolvere pœnitentes à re omnia peccata, vel dimidiam aut tertiam partem quuntur de peccatis, quoad pœnam, non quoad culpam, à remissa esse creditur. Ex adverso Morinus L. X. Indulgenciarum se non modo in pœnam pec- im extendere defendit, dum §. I. ita scribit: Prope- na, que de his pœnitenciarum remissionibus occurunt, non modo pœnarum peccatis debitarum, sed etiam issione polliceri, & quo antiquiora sunt illa testimo- Nondum igitur inter ipsos Pontificios conve- constat, quid Indulgentiis consequantur, cum am parte communis Theologorum sententia, ex- tatis & verborum sensus allegetur. O terque os Evangelicos, qui verbo divino unice ac im- omnimoda culparum atque pœnarum remissio-

im abrumpendum est hoc filum, quod equi- binationis & temporis ratio pateretur, ulterius ophonem itaque eidem imponimus elegantissi- mis.